

ZC  
6013




QV

H



Q. 259,9.



LAUDATIO  
FUNEBRIS,

*VIRI Reverendi & Clarissimi*

DN.

M. BALTHASARIS

MEISNERI, QUONDAM EC-

CLESIASTÆ DRESDENSIS PRIMARIÆ

& Ministerii Ecclesiastici Senioris Ve-  
nerandi, p. m.

*Instituta WITTEBERGÆ*

*à*

M. BALTHASARE BALDUINO,

defuncti Nepote.

WITTEBERGÆ,

*Typis CHRISTIANI THAM, Acad. Typogr.*

ANNO M DC XXIV.



L A N D A T I O  
F U N E B R I S

CU RA Rectoris & Classici

DN

M. B. A. L. T. H. A. S. A. R. I. S.  
M. E. I. S. T. R. I. C. I. Q. U. O. N. D. A. M. E. C.

C. L. E. S. T. I. A. E. D. R. E. S. D. E. N. S. I. S. P. R. I. M. A. R. I. I.

& Ministerii Ecclesiastici Senioris Vc.

recondi p. m.

M. B. A. L. T. H. A. S. A. R. I. S.


M. B. A. L. T. H. A. S. A. R. I. S. B. A. L. D. U. I. N. O.

defuncti

WITTEBERG

THE CHRISTIANITY THAM, Acad. Typogr.

ANNO M DC XXIV





## LAUDATIO FUNEBRIS.

**D**emortuis quantus olim habitus honos fuerit, monumenta præsigni magnificentia constructa confirmant, erectæ stelæ docent, statuæ positæ testantur, ludi sumptuosissimè peracti fidem faciunt, spectacula apparatusissimè data evincunt. Sed quid quæso Mausolæa profunt? Opes ac magnificentiam eorum indicant, à quibus extruuntur, nihil habent, quod illorum jure dici possit, sub his humati qui jacent. Quid statuæ aut imagines commodant? Artificum industriam commendant: inani oculos oblectatione pascunt; prudentiorem doctioremve spectatorem non reddunt. Quid cippi & obelisci sepulchris impositi conducunt? Ab iis, hisce in locis qui commorantur, spectari possunt: longius sese non proferunt: sæpe etiam aut vepribus ac dumetis undique septi obscurantur, aut vetustate collabuntur aut pereunt. Major nunc demortuis honor habetur quam olim, dum laudationes ac celebrationes eorum, qui fato concesserunt, instituuntur, quippe quod amplissimum præmium gloria; quæ unâ vitæ bonitatem, posteritatis memoria consolatur, atque efficit, ut absentes adesse; mortui vivere, etiam hujus quodammodo gradibus in cœlum ascendere, videamur. Ac proinde etiam nihil ille, verè qui est pius ac bonus, antiquius habet; quam ut erga eos, quos donis eximiis ornatos, meritis præ-

LAUDATIO

stantes novit, animi grati testatam benevolentiam faciat, hanc cum Cicrone virtutem, non solum maximam, sed etiam reliquarum omnium matrem judicat; nihil cum eodem tam inhumanum, tam immane, tam esse ferum censet, quam committere, ut beneficio, aut indignus aut victus videatur.

His ergo aliisque rationibus, quas consultò latere nunc patior, motus, haud ingratum illud fore confido, si ut aliis, ita & *Viro Reverendo & Clarissimo Dn. M. BALTHASARI MEISNERO, Archidiacono quondam Dresdensi fidelissimo, Avo meo desideratissimo, o cu a-  
yiois*, quem superiori proximo anno ad se per mortem vocare Domino placuit, parentatio tribuatur. Cujus quidem vitam laudibus dignis prosequi, non meæ ætatis, non ingenii, non doctrinæ, non eloquentiæ est. Faciam tamen, quod facere jussus sum, & quod vetus habet, faciam, quantum sciero, poteroque: spe certâ fretus, ut majorem obedientiæ, quam dicendi facultati laudem tribuatis; simul & illud statuatis, in ejusmodi viris celebrandis, qui per se laudatissimi; & cum lucis hujus usurâ fruerentur, notissimi, clarissimiq; suo merito extiterunt, tam esse disertum neminem posse: quin quò plura dixerit, eò plura dicere potuisse, omisisse non pauca, contraxisse, quæ passis erant velis proferenda.

Laudat Pericles apud Thucididem in prælio cæsos, quod patriam Athenas nacti fuerint; Et non immeritò: Neque enim infelicitatis sanè parte minima nobilis est patria reponenda: cum ad virtutis culturam, resque præclarè ac laudabiliter gerendas stimulos illa addat; ut obscura contra animos deprimat, ac dejicit. Quid autem Ego dicam de *Meisnero* nostro? An patria  
ipsum

FUNERIS.

ipsum commendat? Tali modo ut Pericles milites in  
 prælio caesos laudat, non foret laudandus. Siquidem  
*Meisnerus* noster primum hujus lucis usurâ utebatur  
 Anno 1556. in pago exiguo, vulgò Axin, non procul Anno 1556.  
 hinc distito. Ibiq; agnovit parentes, *Patrem Baltba-*  
*sarem, Matremq; Margaretam,* homines solitarios  
 ac in rure vitam degentes, & ut ait Poëta:

— — — multo fructum sudore parantes

Dura lacertosi fodiebant arva coloni.

Tu cave spernas, neque indignum hunc ordinem tali  
 viro judica. Certè Adamus cum sibi cum conjuge  
 in mundi primordia consuisset femoralia, tunc statim  
 post abiit ad agros colendos, quo Dei jussu erat aman-  
 datus. Illustrissimus quisque apud Antiquos pastor fuit  
 aut agricola. Quid Abel, quid Abraham, Isaac, Mo-  
 ses, Jacob? Agricola, Pastores. Sic & deinceps: Cum  
 exactis Regibus Romæ publicum consilium cogeba-  
 tur, à villis in urbem accersebantur principes viri, unde  
 viatoribus & accensis indita nomina, qui viam inirent,  
 ut accirent Senatores in Senatum. L. Quintius Cin-  
 cinnatus ab aratro ad dictaturam vocatus est. Attilius  
 Calatinus ex agro, quem serebat suâ manu (unde Sera-  
 nus cognominatus est) ad dictaturam vocati sunt. Cato  
 Censorius omnium bonarum artium cognitione præ-  
 stans, agri instruendi fuit studiosissimus. Sic Abdolo-  
 minus inter sulcos cum versaretur, Regiæ majestatis in-  
 signia abs Tyciis oblata suscepit. Denique à rebus rusti-  
 cis sibi imposuerunt nomina Fabii, Lentuli, Cicerones,  
 Piloni &c. Ex vili ligno bene disposito omninò pot-  
 est fieri Mercurius sic vilem hominem & minus nobi-  
 lem evadere in virum doctum, non est impossibile. Hi



LAUDATIO

nampe mores sunt Altissimi, ut respiciat humilia, & ex locis obscuris clarissimos, & minimis maximos viros prodire faciat. Ita igitur *Meisnerus* noster, à Parentibus licet exigui status, tamen honestis & piis, honestè pieq; natus & educatus est. Quare & cum Poëta illo non infimo loco habendo *Eobano Hesso* verè dicere potuit:

Anno 1556.

Quæ mihi signa domus, qui sint ne quære parentes  
Pauper uterq; fuit, sed sine labe Parens.

Porrò videbant parentes bonam indolem filii, ideoque studiis liberalibus consecratum mittebant in Scholam Prettinensem. Novit enim optimè parens optimus, fortassis auditu illorum, quorum cerebrum de meliore luto finxit Apollo, quod filio non tantum esse debeat causa effendi generando, nec tantum causa nutriendi educando, sed cum primis causa disciplinæ informando. O stolidos parentes, qui filiis prospiciunt de pecuniâ non doctrinâ; qui colligunt aurum & negligunt animum; qui relinquunt prolem divitem, sed pravam & inertem! Simile quid agunt equos alentibus, quos belli disciplinam non docent, multum verò pabuli exhibent: Sic enim equos habituri sunt pinguiores, sed rerum, quas præstare oportebant, planè imperitos. Postquam igitur *Meisnerus* noster in Schola Prettinensi fundamenta quædam jecisset, ex illa ad capiendam ingenii uberiores facultatem suafu & auxilio Reverendi Pastoris Dn. Wolfgangi Kempffii unâ cum ipsius filio *Serveftam* profectus est; Ubi ad continuanda studia necessarios sumptus habere non potuit: attamen ad bonarum artium diligenter capeffanda studia inflammatus non deterritus fuit, sed audiverat ille ex præceptoribus suis *aut didant v' des' l' u' v' elian esse.* Obste-  
triciis

Anno 1567.



FUNEBRIS.

triciſ filiam Socratem extitiſſe: ob inopiam militaſſe  
Ariſtotelem, molis truſatilibus Plautum operam dediſ-  
ſe: non lauta fuiſſe re Pythagoram, Demoſthenem,  
Æſchynem, Pyndarum, Virgilium, plurimoſq; alioſ:  
veluti onere quodam gravi adoleſcentes premi ſtudio-  
ſoſ: ut uno eodemque tempore & cum dura paupertate  
bellum gerere, & ſeſe inſcitiae opponere neceſſe ha-  
beant. In hac autem ſumma paupertate non fuit effre-  
natus: ſed ut ejuſ in Præceptoreſ obſervantia, legum  
amor, diſciplinæ ſtadium cum ſingulari morum vitæq;  
conjuncta ſanctimonia fuit: ita quoque in parenteſ &  
deprehenſa pietas eximia; quo ipſo auguſtiſſimum atq;  
pretioſiſſimum theſaurum & ἀγαλμα ἱφίστιον eſſe paren-  
teſ, obſequium, quod iſdem præſtatur, divinum, in ſuiſ  
de legibuſ Plato vocat: eorum contemptum ut ſceluſ  
maximum non ſuppliciuſ modo Magiſtratum coërceri,  
verum & ab ipſo Deo puniri, Oedypi Amyntoriſ alio-  
rumque exempliſ, oſtendit. Uſuſ igitur per quadri-  
ennium diſciplinâ & inſtitutione Scholæ Serveſtanæ, con-  
tulit ſe ſuaſu præceptorum ad noſtram Academiam *Anno 1578.*  
Matrem optimam ſtudioſorum & ſtudiorum. Cum  
autem hanc in urbem venit, non colluſoreſ aut combi-  
boneſ quæſivit; aut ad acroaſeſ quæ duceret viam, igno-  
ravit: aut ad ὀφθαλμοδῶλαιαν operam docentibuſ dedit;  
ſed in iſdem audiendiſ fuit diligens, conſtans, aſſiduus.  
Vidit enim, quod hodiè videre multi non volunt (aſſe-  
rente Philoſopho) πρὸς τὴν καὶ φερόνησιν plurimum audi-  
tum conferre, ac diſciplinæ ſenſum eſſe, auſcultatione  
diligenti aſſequi adoleſcenteſ ſtudioſoſ ea, quæ non  
pauci ſed innumerabileſ propè homineſ vel ipſi inve-  
nerunt, vel inventa ab aliis acceperunt: & horula uni-  
ca,

LAUDATIO

ea, difficultate nulla aut perquam exigua assequi, vivæ vocis majorem vim & efficaciam esse: discipulorum, ut rectè quidam scribit, insidere animis altius, hæreretentacius: occurrere promptius: dare plenius, quæ à præceptoribus in scholis audiuntur, quam quæ domi, vel acri studio leguntur. Solitarios denique illos & ἀντιδιδάκτους, cum vel de suggestu populus docendus, vel juvenus in scholis erudienda, vel Res capeffenda publica, tunc demum reperire, quæ, quot, quantaque sibi desint, idq; magno cum dolore usurpare Poetæ:

O mihi præteritos referat si Jupiter annos!

In auditoriis ergo sese, non locis aliis inveniri passus est, omne illud tempus perire sibi existimavit, quod Præceptoribus vel in Scholâ vel domi non tribueret. Quam veterum fuisse rationem novimus, servare adhuc eos videmus, quibus bonarum artium studia curæ atque cordi sunt. Est enim ut Theognis Poëta ait: Virtutis quædam Exercitatio, cum bonis doctisque viris conversatio: nunquam ad tales quisquam accedit, quin doctior abeat. Atque ita Platonem cum Ægyptiorum vixisse Sacerdotibus, familiariter usum Archita fuisse legimus, sacris initiari Judæorum, Persarum frui conversatione Pythagoras voluit, annos viginti apud Platonem Aristoteles consumpsit, Euclides, etiam capitis propositâ pœna, tunica indutus muliebri, Megaris Athenas ad Socratem profectus est, ne quidem baculo ab Antisthene abigi Diogenes potuit. Et ipse Meisnerus de quo nunc agimus, summum illud Theologiæ lumen Dn. D. Polycarpum Lyserum Seniore, aliosq; viros non minus doctrinâ & virtute excellentes publicè privatimque audivit, privatim etiam cum illis de rebus

Theo-

*FUNE BRIS.*

Theologicis contulit sapissimè. Unde factum, ut eum ipse propter sumptuum defectum promotionem peteret à Dn. Polycarpo Lysero, Bremam missus opidum tertio lapide ab Halâ Saxonum distans, ubi Ludimoderatoris functionem feliciter subiit, & ita se gessit, ut Plato, cum de instituendorum liberorum ratione agit, nempe ut diligenter & præmeditate doceat: si ordine ac methodo bona in docendo utatur, & dèniq; si ipsius vita verbis atque professioni respondeat, à præceptore requirit. Gaudent senes cum arbores sua manu vel insitas, vel plantatas vident, agrum suum egregiè confitum summâ cum voluptate hospiti Lyfandro Cyrus ostendit: etiam minutula opera artifices delectant. Quantò ergo majorem præceptores voluptatem atque delectationem percipiunt, cum plantulas suas, non in hortis & pomariis, sed templis, scholis, principum, Rerumq; publicarum cancellis, curiis, locis deuique aliis fructus proferentes uberrimos vident. Quis igitur non laudibus summis hunc virum dignum judicaret nisi illud qui ignorat, quod uno omnes docti atque prudentes ore affirmant, inanes esse leges, nisi iuvenes in urbe rectè instituti fuerint: aut illam Platonis legem non inspexerit; de artium & disciplinarum, quibus Juventus institui debet, Magistris & præceptoribus, Magistratus accuratè provideto: Senatus hanc in rem invigilato: frustra institui Rempubl. nisi benè exculcto ejus seminario, censetur; Qui enim sunt Juventuti viros pietate, doctrina, fide præstantes, qui præficiunt? Scholarchæ. Qui sunt stipendiis eisdem necessariis qui instruunt? Scholarchæ. Qui sunt arcto quasi concordia inter se vinculo, cum docentes, tum discentes qui continent?

B

Scholar-

LAUDATIO

Scholarchæ. Qui sunt certis veluti cancellis descripta studia qui tuentur? Scholarchæ. Sed evagor extra Cancellos, ignoscite quæso, Auditores optimi. Ad rem. Vitam igitur cum traduxisset in pulvere Scholastico, & per biennium hoc officio bene functus esset *Meisnerus*, adspiravit ad Munus Ecclesiasticum (hoc ille semper in votis habebat.) Contulit igitur iterum pedem huc Wittebergam, & per semestre propriis vixit sumptibus sacrisque literis die nocteque invigilavit, usque dum divinâ adspirante gratiâ Reverendus Vir Dn. Daniel Greiserus Superintendens Dresdensis, beatæ memoriæ, eundem pro Substituto susciperet, ut labores (quos ipse propter summam & decrepitam senectam ferre non poterat) sublevaret, quod & ab eo per integrum anni spatium factum, quo tempore egregiis suis, quibus in concionando divinitus ornatus erat, donis tantam sibi *ἁπλοῦς* comparavit, ut ad ejus conciones tanquam ad oraculum universa conflueret civitas. Sed ad altiora Deus Ter Opt. Maximus provehit humiles corde & in ipsum toto corde sperantes, id quod in hoc viro apparet. Contigit enim, ut Reverendus Dominus M. Petrus Glaser, (qui tunc temporis Archidiaconus Dresdensis fidelissimus) vitam cum morte commutaret, ipsi defuncto successorem substituit. Amplissimus Senatus, à quo legitimè vocatus totius Ecclesiæ suffragio à Reverendo Ministerio Dresdensi ordinationem accepit, ibidemque promisit sinceritatem fidei, puritatem verbi, morum honestatem, & quod à discipulis suis Timotheo atque Tito Apostolus requirit, ut *ὑγιαίνοντων λόγων ὑποτύπωσιν*, sermonum sanorum à se auditorum formam habeant: depositum servent eximium, omnis

exper-

Anno 1583.

Anno 1584.

FUNEBRIS.

expertem reprehensionis doctrinam tueantur. Præstitit hoc dum vixit, *senex hic venerandus* fideliter. Attendere lectioni, exhortationi doctrinæ Timotheum suum Apostolus jubet. Memor idem hujus nullum tali ab officii genere immunem atque vacuum abire diem passus est. Hortatur Apostolus Ecclesiæ Doctores, ut auditorum habitâ ratione, ἀκούεις moneant; animis fractis atq; consternatis præditos solentur & erigant, sublevent infirmos, sint ergo omnes μακροθύμοι. Hac instructum arte fuisse præclare *senem venerandum*, novit non tantum inclyta Dresda, cujus omnia templa vivifica ejus doctrina satis diu personuere; verum etiam tota Electoralis aula, quam non rarò sermonibus suis publicis exhilaravit. Et sui, & gregis universi Ephesinæ Ecclesiæ præpositos curam gerere vult Apostolus, ne quem locum lupi rapaces inveniant. Haud levi molliq; brachio & hoc negotium tractavit; sed pastorem vigilantem, sedulum, animosum egit. Inter Ecclesiæ præfectorum ac *ἐπιβουτέων* officia etiam ægrotorum D. Jacobus visitationem recenset. Quam hac in parte etiam contagiosis in morbis *Senex* hic noster fidus atque impiger extiterit, non semel ejus Parœci experti sunt, quo in genere vel imprimis donis à Deo eximiis præditus fuit, quæ rara admodum sunt, & eò magis æstimanda. Ita enim vel ægrotis vel tentatis, vel alioquin afflictis succurrere, ita exhausta præ angustiis pectora refocillare noverat, ut certatim ejus operam desiderarent, omnes quoscunque Deus ullo afflictionum genere exercebat. Qua in re etiam indefessam nocte dieq; præstabat operam omnibus, qui eum expetebant. Ita vitam Pastorum esse instituendam docet Apostolus, ut sint



LAUDATIO

ἀνεπίληπτοι καὶ ἀνέγκλητοι. Et in hoc *Meisnerus* noster  
 multus, imò totus fuit, ut non verbo suos solum doce-  
 ret, verum etiam suo Exemplo inflammaret; doctrina  
 mores instrueret; moribus doctrinam ac confessionem  
 condecoraret; alienus ab illicita habendi cupiditate;  
 averfus à superbia, remotus coeteris à vitiis esset: paci  
 cum primis ac concordiaë studeret: atque ita verè de se  
 dicere moriens posset, quod animam agentem de se  
 Periclem dixisse Plutarchus refert: neminem sua opera  
 pullam unquam vestem sumpsisse. Ah quantæ felicita-  
 tis illud esse arbitramini, quod nihil de famâ atque exi-  
 stimatione detrahi ille sua sensit: non ambulatorias ho-  
 minum voluntates? Quantæ illud felicitatis arbitrami-  
 ni, quod nec sine liberis ex hac vita migravit; nec istud  
 expertus Demosthenis est, τῶν ἀγαθῶν ἀνδρῶν ὡς ἐρ εἰ μαρ-  
 μύη εἶη, Φαῦλοι γοὶ δὲ τοῦ αἵματος: sed bene moratos atque ob-  
 sequentes in matrimonio quod iniit cum Honestissima  
 & Pudicissima virgine Anna *Kranzin* / quæ adhuc in vi-  
 vis, Avia mea filiali obsequio & amore prosequenda,  
 ex qua quinque liberorum parens factus est, ex quibus  
 duæ filiaë, unicus autem filius est, quos omnes Deus ho-  
 nestis in sedibus collocavit, filiam unam Theologo, al-  
 teram Jcto elocata, filium in Theologica professio-  
 ne eminentem vidit uterque parens, felicitate rarâ. Vi-  
 dit quoque felix senex feminis sui multiplicationem in  
 nepotibus tredecim & neptibus quinque. Quæ res quan-  
 ta voluntate patrem, & senidò maximè confectum Pa-  
 trem, afficiat, norunt ii, Patres qui sunt, & rara hac feli-  
 citate fruuntur: ego nec intelligere nec oratione atque  
 verbis exprimere possum. Sed ô miseras & infelices *Maji*  
*Calendas*, quæ virum hunc, Patrem, Avum nobis anno  
 præ-

Anno 1584.

FUNEBRIS.

Præterito abriperunt! O falsam meam spem! ò volu-  
erem fortunam, quæ hunc mihi aliisq; invidit! Quam  
cito illa ex læticia & voluptate ad luctum atque lachru-  
mas reciderunt! Plura ne dicam, Auditores, dolore im-  
pedior, qui me debilitat, vocemq; intercludit. Lugete  
mecum, defuncti nostri obitum. Ejulate omnes, qui-  
bus pura & sincera doctrina curæ cordiq; est: amissimus  
disertum verbi divini præconem, ægrotorum Solatium,  
multorum afflictorum præsidium. Vivunt enim adhuc,  
nisi fallor, & vixerunt sat multi, qui Viri hujus operâ,  
ope, & auxilio feliciter usi sunt, qua de re alios, quàm  
me, dicere malo, ne quid amoris sanguiniq; dare videar.  
Sed hæc fuerunt:

Vita perit mortis, gloria non moritur.

Nostræ sunt partes, cogitare, cur tot præclari viri in re-  
quiem sint suam à Domino collecti. Nostræ sunt par-  
tes, Deum ardentissimis precibus invocare, ne caput  
nostrum justâ irâ obruat, ut illos, quos laceravit, sanet,  
quos percussit, curet, Clamabimus ergo antequam  
transeamus: Adjuva nos fortitudo nostra, per quam  
sublevamur; succurre virtus, per quam sustentamur;  
veni lux, per quam videmus, largire docentes in  
Ecclesia, ut audiamus, doceamur, salvi  
denique fiamus. DIXI.



B 3

EPICE-



# EPICEDIA

IN

OBITUM

*Reverendi & Clarissimi Viri,*

**DN. M. BALTHASARIS**

**MEISNERI &c.**

*Conscripta.*

*Clarissimo Viro,*

**DN. D. BALTHASARI MEISNERO, &c.**

S. P. P.

**N**on obiisse tuum credo, MEISNERE, parentem,

*Cujus in excelsis spiritus axe viget:*

*Cujus & in terris tu visus imago superstes,*

*Et mentem patris, & nomen, & ora gerens.*

*Opto, quando parens felix expleveris annos,*

*Uivendi similis met a tibi esse queat,*

*Et tum procuret similis tibi funera natus,*

*Meisneri vigeat gloria, fama, decus.*

*Clarissimo Viro,*

**DN. D. FRIDERICO BALDUINO, &c.**

S. P. P.

**F**ilia, ait genitor, quæ me præcessit ad astra,

*Acunctis gaudet libera in axe malis.*

*Hunc*



Hunc mundum insinit a premunt incommoda; felix  
Ut florere queam, te, mea nata, sequar.  
Dixit, & angelico comitatus ad aethera catu,  
Cum Christo eternum ut vivere possit, abit.

ALIUD.

OS magnum est anni, & facies letissima terra,  
Aet animam non hac exatiare queunt.  
In caelis mea spes, solus mea gaudia Christus,  
Qui cum triste nihil, quo sine dulce nihil.  
Hec meditans MEISNERUS obit, terraque relicta  
Cum Christo felix vivit in aere poli.

Γ' αὐτῶν καλῶς.

Vivimus in mundo, velut embryo matris in alvo;  
Sordibus & tenebris obsita turba sumus.

Embryo materno mature scissus ab alvo,  
Non perit, ad vitam sed properare solet.

Exitus ad veram mors optatissima vitam est:  
Non perit, in tumulo quem periisse putant.

Ergo, care Socer, neque te periisse putamus,  
Quin magis à cuncto liber es interitu,

Dum tua, post mortem, jam molliter ossa quiescunt,  
Angelicosque choros spiritus inter ovat.

Gaude sorte tuâ; tristi nos orbe relicti,  
Cum te fatali lege sequemur, erit.

In memoriam desideratissimi sui

Soceri f.

FRIDERICUS BALDUINUS D.

Memo-

Memoriæ parentis pientif-  
simi, desideratissimi,

**C**Hare Pater, veræ Pietatis imago, Bonorum  
Delitium, Templi suada, Corona senum;  
Si mea, si quicquam valuissent vota meorum,  
Non foret orba tua lumine nostra domus.  
Sed visum est aliter DOMINO, qui tempora vitæ  
Constituit; Cujus velle, placere decet.  
Vixisti, & cursu, dederat quem JOVA, peracto,  
In coelis tua mens sancta triumphat ovans.  
Te portus, nos pontus habet: Nos stamus in armis,  
Palma tua est; serimus nos, tua messis adest.  
O adsit quoque nostra! Veni JESU optime, surge,  
Quos fera mors secuit, quos ligat unus amor.

*fac. filius mæstissimus*

BALTHASAR MEISNERUS D.

---

PIIS MANIBUS

*Reverendi & Clarissimi Senis,*

**DN. M. BALTHASARIS**  
MEISNERI &c.

**O**Mnia debemus, rigide Nos nostraq; morti,  
Solvendum est, cum jam Nominis, hora venit:  
Nullaq; causidici valet hic elusto; nullus  
Consutus Spingis duplici vulpe dolus.

*Nève*

Nève quod innumeros magnà quis vòce Clientes  
Juverit, extremo præcipit ante die;  
Non quod item tabulas cariòsa arroserit atas,  
Aut quod nulla domi exactio facta prius;  
Obtinet antiquum Mors primà à labe rigorem,  
Nec lato titulis cesserit ungue suis.  
Sic cum MEISNERO quoq; res nunc acta Sene eheu!  
Moribus egregiis & pietate SENE!  
Debuerat Morti, & multos præscripserat annos,  
Inde videbatur liber ab ære Necis;  
Et confirmârat vocis munimine multos,  
Mundo & agris quoties cedere tempus erat.  
Nec mortis liçtor, Morbus, signaverat ades,  
Namq; acta equali vita tenore fuit.  
Nequicquam; Tandem Fati Urna movetur & ipsi,  
Expungat nomen, chirographonq; luat.  
Hinc moritur. Bene sic mota Urna Seni fuit, euge!  
Expuncto inde gravi Nomine, liber ovat.  
Et quis non tetricum semel optet solvere Nomen,  
Quàm male perpetuâ debitione premi?  
Salve igitur pia mens terrens libera nexu!  
Faxit Jàs brevi idem nos teneamus iter!

Piæ, & ita uti nomen cluit meum,  
compassionis ergò ἐξεδίασε

CHRISTIANUS ANESORGIUS

J. U. D.



CL

IN BEATISSIMAM

ἀνάλυσιν

Venerandi & Lectissimi SENIS,

DN. M. BALTHASARIS

MEISNERI, Diaconi Dresdensis.

**M**EISNERUS, præco divinis Numinis acer,  
Et menti ac mentis canitie egregius,  
Rore Sionæo verbiq; liquore sacrat.  
Christiferas pascit dum vigilanter oves,  
Et gladio cinctus, cristâq; coruscus aheneâ,  
(Quales suppeditant codicis acta sacri)  
Regnatorem Erebi, scelus omne, stygisque bara-  
Debellat, longoq; agmine fundit humi; (thrum)  
Initata odiis Parca injustissima lentis,  
Præclaro Mystæ fata cruenta parat.  
Ille quidem citius spe morte peremptus amarâ,  
Flebile cordolium discidiumq; creat  
Spectatæ generis famæ fideiq;, nec unô  
Dilectæ Viduæ, quæ sedet orba, modô,  
Ac NATO, rutilis nomen qui terminat astris,  
Et NATÆ, doctæ, grande parare penus:  
Sed non proficiunt lacrymæ. Sors pristina nullo  
Digna obulo est. Verâ rem ratione puta.  
Non tristes casus metuit, sed cœlite mannâ  
Et benè olente thymo salvificæ ambrosies.

Intima

Intima perhibetur mentis penetralia; Tenor  
Non animam tenet; Non malè tuta quies.  
Ut factum in terris, titubantia pectora turbat,  
Robur at in fractum cor hilarum exatit,  
Nec vultum obvertit, mutari prompta, minacem,  
Sors, nec agit variis per sola sola modis,  
Proq; catenatis curis datur ubere more  
Tranquillus vitæ continuusq; tenor,  
Quem non angelicæ pellacia gemmea linguæ  
Sat decantando concelebrare potest.  
Salve fiderei felix labitator olympi,  
Numinis & trini læto aditu fruere,  
Donec mortales, è terræ pulvere tractæ,  
Exuvia æterni gaudia veris agant.

*Dresda faciebam  
condolentia Christianæ  
intuitu justissimo*

ZACHARIAS Schilter Lipsiensis,  
J. U. Doctor.



*Qui tot confessos absolvit crimine, fessos  
Cœlesti & pavit, lustra per octo, cibo,  
Qui tot defunctos solatus funere CHRISTI,  
Funereo, è cathedrâ, condidit Elogio,  
Præmissos sequitur vivens MEISNERUS in astris,  
Promissumq; sibi nunc Anadema capit.*

*Non eget hinc tumulo: tumulo sed si indiget, illi  
Qui superest GNATUS splendidus est tumulus.*


Confessionario atq; amico suo

B. D. S. M.

S. E. S. S.

J. SEUSSIUS.

P.




**Π**ρὸς δόξαν μεγάλοιο θεῶ πολλὰς ὁ διδάξας,  
ἐν ζωῶσι θανεῖν, ἐντε θανεῖσι βίβν  
εἰ θανε, τεθνηκῶς, ἀγίοι(δε), μειγμύ(ε) ἄλλοις  
ἐν θνητοῖσι μάκαρ, σιώτε θανεῖσι μάκαρ.  
Τίς γὰρ σὺκ οἶταμ, ΜΕΙΣΝΗΡΟΝ ἐκρηανίοισιν  
εἰν ἀγίοις Δόγειν, Ἰδὲ θανόντα βίβν.

*Suo Confess. quaedam*

*memorab.*

PHILIPPUS SCHEFANUS  
Advoc.



**A**udio adhuc desiderium, MEISNERE beate,  
Audio adhuc cordis vota iterata tui.  
Audio te suspirantem: quid mundus? Et omne  
In mundo? dolor est, perpetuusq; labor.  
Clam autem audio te: dimitte in pace Ministrum,  
Jovatum: haec nulla est, optima vita poli.

*Amplius*

*Amplius haud opus est votis: Capis omne, quod optas:*

Pro terra coelum nactus es; ô bona res!

Pro fluxo æternum nactus es; ô bona res!

Pro turbis requiem nactus es; ô bona res!

Gaudia pro fletu nactus es; ô bona res!

Jubila pro luctu nactus es; ô bona res!


Per mortem in vitam ingressus es; optima res!

*Collega & Compatri suo de-  
sideratissimo apposuit*

M. SAMUEL RÜLINGIUS,

Eccl. Dresd. Diaconus

& P. L.



**O** Miserum! vitam nimis hanc qui suspicit unam,  
Et nihil in mundo dulcius esse putat.

Non ea vita putanda, solo quam ducimus: ævi

Hæc brevis est, variis fæta subinde malis.

Vita sed illa putanda, polo quæ vivitur, ævum,

Quæq; per omne manet, tota referta bonis.

Vita tibi in terris, MEIS NERE, est hæctenus acta,

Plurimus oppressit quam dolor atque labor.

Nunc dabit in coelis vitam tibi Christus agendam,

In qua perpetua gaudia pace vigent.

Hanc venerande senex intrabis corpore, quando

Extrema in patulo luxerit orbe dies:

Et subito, quotquot recubant in pulvere terræ,


Surgent ad vitæ munera grata novæ.

C 3

Tunc

Tunc effulgebunt stellæ velut ætheris alti,  
Justiciæ multos qui docuere viam.  
Tunc ipse hos inter radiabis sideris instar,  
Semper ovans animo, justus & ante Deum.  
Præcones verbi pietatis laude coruscis  
Tantus honos sequitur, gloria tanta manet.

M. TOBIAS SIMON,  
Dresd. Scholæ Rector.



IN  
O B I T U M

*Reverendi & Clarissimi Viri,*

**DN. M. BALTHASARIS**

MEISNERI, Ecclesiast. Dresd.  
vigilantis. &c.

**Epigrammata.**

I.

Defunctus ad heredes.

**C**hara Marita mihi, FILII, mea Nata, Nepotes,  
Uas Generi, tristes linquite nunc lacrimas.  
Post exantlatos, grandæva ætate, labores,  
Deposui terrâ corpus inane meum.  
At mea mens procul hinc dias penetravit adoras,  
Latus ubi satiatur me recreatq; Deus.  
Qua sede hinc sedeo, quia sat mihi commoda sedes,  
Semper ero, vitâ cœlicolumq; fruatur.

II. Here-



II.

Heredes ad defunctum.

**C** Hare Marite, Parens, Ave, & ô Socer, ancora vita  
 Nostra olim, meritis clarus & arte senex,  
 Cur. nos. rellinquis. madidos. tristesq. fruisci.  
 Vultu. ne. possint. lumina. nostra. tuo?  
 Nempe DEUS voluit. Salveto ergo incola cœli.  
 Intuitu fruere colloquioq. DEI.  
 Quum volet ipse, statim promti te quisq. sequemur,  
 Quos jam singultus, quos mala multa premunt.

III.

**D** Onec in his filii MEI SNERI gloria terris  
 Durabit, Patris fama superstes erit.  
 Quæ Pater asseruit cœlestia dogmata, Gnatus  
 In phylaca probat ac condecorare studet.  
 Qui Natos habet, is videat, quò vivat in illis.  
 Sic vivens terris vivet in arce poli.

πία συμπαθείας ἐργὸ

adponcbam

M. JOHAN. Zulenaw/  
 Schol. Dresd. Conrect.



ΕΠΙΤΗ-

# ΕΠΙΚΗΔΙΟΝ

*Beatissimis manibus venerandi & doctissimi*

*U I R I,*

**DN. M. Balthazaris Meisneri,**

Concionatoris primarii in æde ad D. Virginem  
Dresdæ, compatris sui multum honorandi,  
pro significatione condolentis  
animi scriptum.

**E** Heu! jurè dolet MEISNERI clara propago,  
Justa etenim tanti causa doloris adest.  
Ecce virum viduæ Matri, Natis Genitorem,  
Et Genèris Socerum mors inimica tulit.  
Conjuge, quo toto haud quid erat sibi charius or-  
Ocyus orbata est mœsta marita suo. (be,  
MEISNERUS gnatus, Doctorum fulgida lampas,  
Abreptum luget corde dolente Patrem.  
Doctores bini BALDUINUS post FABER, ipsi  
Ob Soceri mortem mente gemente dolent.  
Tristitiæ dant signa suæ manifesta Nepotes,  
Quos potuisset Avus mille juvare modis.  
Et meritò lugent cuncti, quòd Virq; Paterque,  
Atque Avus atque Socer decidit ante diem.  
Sed frenare tamen conceptos pectore luctus  
Convenit, Hebræus nos monet ut sapiens.

Ferte

Ferte animo fortifatū, remōvete querelas,  
 Immodicos fletus improbat ipse DEUS.  
 Denatus vester, DRESDÆ qui semina verbi  
 Salvifici sparsit, vivit in arce poli.  
 Nam Domino vixit, terris quem voce professus,  
 Et cui filius, ei morte solutus oblit.  
 Fidere qui summo didicit JOVÆ, & bene CHRI-  
 Nosse, pieq; mori, næ pius ille vir est. (STVM

WOLFGANGO JENICHEN,  
 Ludi Dresd. Collega.



<sup>AD</sup>  
 DN. BALTHASAREM  
 MEISNERUM,

Theologum Spectatissimum, ob parentis dile-  
 ctissimi obitum intestum,

*Contestanda, Condolentia ergo hoc  
 & edictum mittit*

M. Johan. Person.



**M**EISNERIANA Domus Fati concussa procellis  
 Deslevit plagas hætenus atra suas.  
 Parce Domus, Pater; Afflicta miserere, colentis  
 Assiduè Nomen debito honore tuum.

D

Gratia

Gratia subueniat, placidis pax aduolēt alīs,  
Ne rursus per eam Morta Tyranna ruat.  
Nempè obiit Genitor, quo nunquam justior alter,  
Vota ipsi innumeros nostra dedere dies.  
Nata Patrem præcessit, quā non sanctior ulla  
Cum Sobole. Hæc sexus deterioris erat  
Esse quid hoc dicam? An rapit inclementia Mortis  
Et Sanctos? parit hoc mi grave cordolium.  
MEI SNERUM. Natum DEUS ò seruato, sueq;  
Atq; Tuæ qui nunc firma columna Domus.

II. Maji, ANNO

MDCLXXIII.

○ Venerande Senex nullo non tempore felix  
Qui Vir perpetuò vivere dignus eras.  
Ecce tibi me nunc mors importuna coëgit  
Scribere, tam moesta carmina pauca manu?  
Dum vivo miserè ærumnarum in continuo æstu  
Præ nimis lacrumis concidit & calamus.  
Pacem animæ in coelo, carni sub mole sepulcri  
Tranquillam requiem voce mea voveo.  
Inde tuæ mortis memor omnibus usque diebus  
Ad cryptæ hæc fundam tristia verba fores.  
Vita mea, ô solidum mihi, delictum, una voluptas  
Hic vireant laurus, thymbra, rosæ & violæ.  
Moesta

Gratia

Mœsta domus nostræ cupressus contegat omnem  
Angulum, ad ærumnas concitet & lapides.  
Nulla dies etiam luctus mihi finiet ægros  
Semper erit lacrumis turbida lymphæ meis.  
Desino præ lacrumis: lacrumæ mea scripta resor-  
Carmina. Sint animæ gaudia mille Tuæ. (bent.

Debitæ *συμβαθείας* causa  
adposuit.

CHRISTIANUS BALDUINUS  
Nepos.

F I N I S.



7c 6013 PK

Mixta domus uolens cupressis  
Angustius, ad summam con  
Nulla dies eam iustus nisi iunct a gros  
Scilicet erit lactumis turbida lymphama  
Deino puz lactumis: lactumis mea scripta telot  
Carminis. sine animae gaudia mille Tur. (pent.

Debita omnia x. d. caula  
adposita

CHRISTIANUS BALDUINUS  
Nepos.

F I N I S



Wm

M



M  
N  
D

ULB Halle 3  
003 067 238







Q. 259, 9.

LAUDAT  
FUNEB

*VIRI Reverendi &*

DN.

M. BALTH  
MEISNERI, QUO

CLESIASTÆ DRESDE  
& Ministerii Ecclesiasti  
nerandi, p

*Institutum WITTE*

M. BALTHASARE  
defuncti Nep

WITTEBEI

*Typis CHRISTIANI TH*

ANNO M DC



KODAK Color Control Patches

Kodak

LICENSED PRODUCT

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

© The Tiffen Company, 2000

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

